



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CXLII. Die Markgrafen Otto und Albert von Brandenburg geben dem
Kloster Broda, als Ersatz für das Areal der Stadt Neu-Brandenburg,
gewisse Mühlenpächte daselbst, das Recht der Anlegung einer Mühle zu ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

causae iustae sit, cordetenus revolventes. Est enim dolor amarissimus, pati dolores et afflictiones immeritas, nisi quod proinde datur meritum salutare; hac animadversione consolatur noster animus aliquantum. Unde teste dei filio, cum in vestra salute constet nostrum vivere, multis casibus circumscriptum, supplicandum Vestrae Dilectioni et Dominationi duximus omni fiducia: quatenus advertentes, quanta salus et quot viventium quasi vestro vivere dependeat, propter deum et amore vestrae conjugis carissimae, puerorum vestrorum, nostri et nostrorum, qui vestri sumus, exaudire clamantes dignemini, et cavere diligentius multiformes decipulas malignorum, et praecipue, ne ad aliquas munitiones civitatum seu castrorum expugnandas personaliter accedatis. Sit enim vobis ante oculos cordis huius exempli poetici monumentum: Possit ab incauto mors tibi saeva dari.

Nach Palacky, a. a. D. S. 267. Nr. 6.

CXLI. Bischof Johann von Prag ertheilt der Königin Kunigunde von Böhmen und der verwitweten Markgräfin von Brandenburg die Absolution, welche am Grünen Donnerstage zu Prag ausgetheilt wird, weil beide an diesem Tage nicht zu Prag anwesend seyn können, vermuthlich im Anfange des Jahres 1270.

Licet excellentiam Celsitudinis V^{rae}, quemadmodum et praecordialis domini nostri Bohemiae regis illustrissimi, vestri mariti carissimi, in omnibus in quibus possumus, honoremus, et honorare toto vitae nostrae tempore intendamus: hac tamen vice, cum nostris consiliis, quamquam non usquequaque, obediveritis, petitionibus Ser^{ti}s V^{rae} gratanter annuimus ac etiam reverenter. Quapropter hoc, de omnipotentis dei misericordia confidentes, auctoritate beatorum Petri et Pauli apostolorum ac ea qua fungimur, vos et praeclaram nurum vestram, relictam Brandeburgensis marchionis felicissimae recordationis, cum his omnibus, qui de familia vestra in vestris obsequiis commorantur, nec his diebus ad sanctam Pragensem ecclesiam pro indulgentia promerenda accedere possunt, omnium remissionum, orationum et indulgentiarum ac aliorum universonum bonorum spiritualium, quae in dicta ecclesia in die coenae domini et in festivitibus imminentibus peragentur feliciter, dante deo participes efficimus et confortes.

Nach Palacky, Abb. der Böh. Gesellschaft der Wissenschaften V, II, S. 280. Nr. 35.

CXLII. Die Markgrafen Otto und Albert von Brandenburg geben dem Kloster Broda, als Ersatz für das Areal der Stadt Neu-Brandenburg, gewisse Mühlenpächte daselbst, das Recht der Anlegung einer Mühle zu Broda, das Patronatrecht über die Kirche zu Neu-Brandenburg das Dorf Mechow bei Lychen und Fischereigerechtigkeiten auf dem Tollensee, am 9. Juli 1271.

In nomine sancte et individue trinitatis Amen. Otto et Albertus, Dei gracia Marchiones Brandeburgenses, omnibus in perpetuum. Cum urgentis in senium seculi cor-

ruptela non solum defectum corporum, sed etiam obliuionem actuum efficiat per momenta temporum, dignum est, quod ea, que ratione preuia a quibuslibet ordinantur, scripti munimine roborentur, ut sic facti precedentis cognitionem plenam habeat posteritas secutura. Hinc est igitur quod notum esse volumus tam presentibus, quam futuris, tenore presentium protestantes, quod nos, ob reuerenciam et honorem Domini nostri Ihesu Christi ac intemerate virginis matris eius Marie, ecclesie sancti Petri apostoli in Broda, ubi collegium canonicorum sancti Augustini iugiter Deo deseruit, in recompensacionem et restaurum fundi ciuitatis nove Brandenburg, qui fundus eiusdem extitit ecclesie, in superiori parte dicte ciuitatis uersus (uersus) castrum Stargart in duobus molendinis, sitis in flumine, quod uulgariter Stargarde dicitur, duos choros siliginis assignantes, in inferiori uero parte iam dicte ciuitatis in molendino, quod est inter ciuitatem et cenobium Brode, terciam partem census et omnium prouentuum, qui exinde poterunt prouenire, ecclesiam quoque parrochiam memorate ciuitatis Brandenburg et ius patronatus eiusdem, uel si que processu temporis ibidem parrochie forsitan extruantur, prefate ecclesie donamus, sex quoque mansos, dicte parrochie attinentes, donamus inquam propria et perpetuo possidenda hec omnia supradicta. Preterea villam Mechouwe, que sita est apud Lychinam, que habet sexaginta mansos cum omni iure in eadem integritate et potestate, qua nos habuimus, cum omnibus suis attinenciis similiter donamus predicte ecclesie propriam et perpetuo possidendam. Addimus quoque eidem ecclesie piscaturam in stagno, quod Tollense uocatur, ad perfectiorem sustentacionem fratrum predicte ecclesie Brode, quocumque modo piscari poterunt, excepto cum retibus magnis, que niwade uulgariter nuncupantur. Ad amplius quoque commodum predictorum fratrum ex nostra est plenaria uoluntate, quod molendinum in Brode in eorum curia constructur, quod ex habundancia stagni, quod Tollense dicitur, habeat necessarias sibi aquas; statuimus quoque sic, quod in molendino constructo in curia predicta nulli debeant molere, nisi illi de curia et eorum homines de villis eorum Brode scilicet et Damerouwe. Attamen si fratres predicte ecclesie aliquo anno, prout eis placuerit, sex choros uel octo uendere uoluerint, si placet, eos in molendino possunt molere supradicto. Ut autem hec omnia supradicta per nos atque succedentes nobis heredes nostros in perpetuum inuiolabiliter obseruentur, presentem paginam inde conscriptam sigillorum nostrorum appensionibus fecimus roborari. Huius rei testes sunt nostri milites et sacalli: Henricus de Wodensuege, Henricus de Heybarake, Rodolphus Munt, Henricus Dargaz et dominus Arnoldus plebanus in Woldege et alii quam plurimi fide digni. Actum et datum in castro Stargarde, anno domini M^o. CC^o. LXXI^o., Idus Julii VII^o.

Im Großherzoglichen Archive zu Neustrelitz wird eine zweite Ausfertigung dieser Urkunde aufbewahrt, welche bis auf den Schluß mit der vorstehenden ganz gleichlautend ist: der Schluß lautet aber also:

Addimus quoque eidem ecclesie piscaturam in stagno, quod Tollense uocatur, ad perfectiorem sustentacionem fratrum predicte ecclesie Brode, quocumque modo piscari poterunt, excepto cum retibus magnis, que niwade uulgariter nuncupantur.

Insuper et anguillarum capturam, que est in exitu aquarum stagni, quod dicitur Tolense, quam de vno littore ad aliud, ad usus suos disponendam, a primo plantacione ipsius ciuitatis predicta ecclesia cum omni iure libere possedit, fratribus predictae ecclesie contulimus omni procul impedimento iure perpetuo possidendam. Ad amplius quoque commodum predictorum fratrum ex nostra est plenaria uoluntate, quod molendinum in Brode in eorum curia construatur, quod ex habundantia stagni, quod Tolense et Stargarde nuncupatur, habeat necessarias sibi aquas.

Ut autem hec omnia supra dicta per nos atque succedentes nobis heredes nostros in perpetuum inuiolabiliter obseruentur, presentem paginam inde conscriptam sigillorum nostrorum apensionibus fecimus roborari. Huius rei testes sunt nostri milites et uasalli: Henricus de Wudensuege, Henricus de Heidenbrake, Rodolfus Mvnt, Henricus Dargaz et dominus Arnoldus plebanus de Woldegge et alii quam plurimi fide digni. Actum et datum in castro Stargarde, anno domini M^oC^oC^oL^oX^oX^oII^o, idus Julii VI^oI^o.

Nach Lisch, Meckl. Jahrbücher III, 214, die erste Ausfertigung aus dem Originale im Groß. Archive zu Schwerin.

CXLIII. Friedensschluß des Königs Ottokar von Böhmen mit dem Könige Stephan von Ungarn, worin der Markgraf Otto von Brandenburg nebst Johann's Söhnen mit eingeschlossen wird und als Bedingung festgestellt ist, daß der Markgraf dem Böhmischem Könige keinen Beistand leiste, falls dieser den Vertrag in irgend einem Punkte verletzen sollte, vom 14. Juli 1271.

Ottogarus, Dei gratia Rex Bohemiae, Dux Austriae, Styriae, Carinthiae, Marchioque Moraviae, Dominus Carniolae, Marchiae, Aegrae et portus Naonis; uniuersis praesentium notitiam habituris, salutem in salutis auctore etc. Noverint uniuersi, quod post longa guerrarum discrimina, quae inter Dominum Stephanum, Regem Ungariae Illustrem, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae et Bulgariae, Ducem totius Sclavoniae, charissimum cognatum nostrum ex una parte; et Nos ex altera suscitata fuerant, suggerente humani generis inimico: cum nos pro uotivae pacis puritate reformatanda dilectos fideles nostros Dominos Brunonem Venerabilem Episcopum Olomucensem, fratrem Hartpinum ministrum Ordinis Fratrum minorum per Austriam, Hartlibum Camerarium, Buhulchonem Marchalcum, Noezan, Izlonem, Pincernam Moraviae, Barones Regni nostri, misissemus, dato eidem pleno, sufficienti et legali mandato, ut convenientes cum praelatis et Baronibus Regni Ungariae, Domino Paulo, venerabili Episcopo Vesprimiensi, Aegidio summo Camerario, Rolando, Bano et Magistro Benedicto Praeposito Oradiensi, Vice-Cancellario, a praedicto Rege Ungariae similiter cum pleno mandato destinatis, tractare, ordinare et diffinire possent omnia ad reformationem pacis facientia, quae nos ipsi, si praesentialiter cum ipso Rege Ungariae conuissimus, ordinare et diffinire possemus, pro nostri quiete animi, et nostrorum tranquillitate subditorum. Idem Barones nostri, considerantes cum praedictis Baronibus Ungariae, ordinaverunt et assumerunt juxta mandati traditi sibi